

M
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14



Q. D. B. V.
OBSERVATIONES IVRIS MISCELLAE
QVAVRVM
CAPVT SECVNDVM
DE
EXCLVSIONE FISCO
A SVCCESIONE
IN

FEVDA MERE HAEREDITARIA

PRAESIDE

GEORGIO FRIDERICO DEINLINO
I. V. ET PHILOS. D. PERILL. REIPVBL. NORIB.
CONSIL. PAND. P. P. COLL. ICTORVM
ASSESS. ORD. H. T. DECANO

DISQVVSITIONI ERVDITORVM
SVBMITTIT

AVCTOR RESPONDENS

IACOBVS CHRISTOPHORVS TAVTPHOEVVS
MERGENTHEMIO - FRANCVS.

ALTORF. D. XXII. MART. A. O. R. MDCCXXXI.

TYPIS IOH. GEORGII MEYERI ACAD. TYPOGRAPHI.

Q. D. B. V.
OBSERVATIONES IURIS MISCELLANAE

Q. D. B. V.
CAPUT SECVNDVM

EXCIVSIONE FISCALI
A SVCCESIONE

FEVDA MERE HAEREDITARIA

PRÆSIDIO

GEORGIO FRIDERICO DINIUNO

I. V. ET PHLOS. D. P. R. I. N. C. I. P. I. N. I. S. N. O. R. I. M.

CONSILII P. R. I. N. C. I. P. I. N. I. S. N. O. R. I. M.

ASSESS. ORD. H. T. DECANO

DISCIPLINÆ P. R. I. N. C. I. P. I. N. I. S. N. O. R. I. M.

AUCTOR RESPONDENS

JACOBVS CHRISTOPHORVS TAVTHIOVS

MERCIORUM HEMIS-PRÆFECTVS

AUTORI D. XXII. MARTII MDCCLXXXIX.

TISS JON GEORGI WYTERI SCAB. P. R. I. N. C. I. P. I. N. I. S. N. O. R. I. M.



OBSERVATIONES IVRIS MISCELLAE.

CAPVT SECVNDVM

DE

EXCLVSIONE FISCO A SVCCES-
SIONE IN FEVDA MERE
HAEREDITARIA.

§. I.



N Eo omnium sententiae facile conspirant, *fiscum* Fiscus in feudo non succedit.
ad successionem feudorum plane non esse admittendum. Quae enim iura fisco competunt in bona

uacantia, ut haec *occupare* possit, restringenda sunt ad solam successionem allodiam; adeo, ut, in defectu omnium haeredum testamentariorum, ab intestato uenientium et patiturorum, locum haeredis, ut loquuntur, occupet, ac proinde interdum *Vltimus Successor* dicatur. In feudis uero ideo nulla competit successio fisco, uasallo etiam sine haeredibus relictis mortuo, quia feudum non est in pleno uasalli dominio, et quia feudum reuera nunquam uacat, superflite adhuc domino directo; adeoque regulariter ad haeredes extraneos nunquam est transitorium. Ita sentiunt DD. Feudistae apud STRYK *in tr. de S. A. I. diff. 5. cap. 2. §. 1. seqq.* magno numero allegati. Ita etiam sentit ipse STRYKIVS, iisdemque rationibus utitur in excludendo fisco a successione feudali: Cum quo et nos lubentissime facimus; et praeterea illam quoque disputationem valde otiosam immeridendam existimamus, quae a nonnullis DD. mouetur circa quaestionem: Annon tunc fisco succedat in feudo, deficientibus haeredibus feudalibus, si idem Dominus directus feudi sit simul Do-

Otiosa est Exceptio: nisi feudi Dominus sit simul Dominus fisci.

C

minus

minus fisci? quam quaestionem affirmant, et putant se deprehendisse exceptionem a regula. Verum enim uero manifestissimum est, feudum tali casu redire ad dominum, non quatenus est *Dominus fisci*, sed quatenus est *Dominus feudi directus*, ad quem, deficientibus haeredibus feudalibus, dominium utile per aperturam reuertit. Est hic modus, formandi exceptiones a regula, nonnullis admodum frequens, licet nobis uideatur spernendus, et potius remouendus, ad euitandas confusiones. Suppeditabimus Exemplum. Conclamarum est, legitimos per rescriptum Principis in feudis non succedere, uid. STRVV. *Syntag. I. F. cap. 9. thes. 3. num. 9. seqq.* sed additur etiam exceptio: nisi legitimatio ad hunc effectum ab eo, qui simul feudi Dominus est, in specie facta fuerit, ubi, deficientibus agnatis, admittantur, uid. LVDOV. *doctr. ff. tit. de his qui sui uel alien. iur. sunt §. 10.* At quis non uidet, uanam esse hanc Exceptionem? Si enim legitimatus per rescriptum Principis hac ratione succedit in feudo, deficientibus agnatis, huic ipsi et Domino Directo et simul Principi legitimanti aperto; tunc successio non est effectus legitimat[i]onis, sed potius *nouae inuestiturae*; neque proprie est *successio*, sed potius *acquisitio per nouam inuestituram*.

§. II.

Majoris momenti
est Exceptio:
nisi feudum sit
mere haeredita-
rium.

Tametsi uero fiscus a feudi successione, ob supra dictas rationes, excludatur, sunt tamen non pauci, qui hanc regulam limitant in feudo mere haereditario; inter quos eminent CRAVTTA, STRVVIVS et inprimis STRYKIVS *de S. A. I. diff. 5 §. 5. seqq.* Haec sententia, quia nobis parum firmis rationibus innixa uidetur, in hac disertatiuncula sub examen uocanda erit. In iis, quae satis nota sunt, et forsan nudam terminorum explicationem tantummodo concernunt, non haerebimus. Omnes norunt, quid sit feudum, quid fiscus, quid successio etc. Nec quemquam fugere potest notatu digna diuisio feudorum in propria et impropria; item: feudorum impropriorum speciem esse famosam *feudum haereditarium*, *ein Erb-Leben*. Illud tamen nobis incumbere uidetur, ut describamus, quantum fieri possit,

fit, accuratius, quid per *feudum mere haereditarium* intelligamus. Qua in re inhaerebimus doctrinae SCHILTERI, qui in *Inst. I. F. cap. 9. §. 17.* ita se explicat: Hoc feudum non recedit ab *essentia feudi*, sed a *natura et regula successionis* feudalis, et promiscue admittit in successione et faeminas et collaterales, aliquoties et extraneos 2. F. 48. pacto scilicet ita expresso, *alias non expressa non praesumuntur*, nisi ex speciali consuetudine alicuius Regni uel Prouinciae etc. Porro dantur gradus feudorum haereditariorum pro pactorum diuersitate 1) datur pactum de successione Masculorum ciuili ascendentium et collateralium: huius pacti formula habetur: *Titio et haeredibus quibuscumque*: qua formula solent intelligi etiam haeredes non feudales, Masculi tamen: 2.) gradus est, si pactum fit de faeminarum quoque successione, quod iterum dupliciter fieri potest (a) regulariter *deficientibus Masculis* 1. F. 6. (b) *cum Masculis eodem tempore*: 2. Feud. 104. atque hactenus succeditur *ab intestato* in feudo haereditario 3.) etiam pactum fieri potest *de iure testandi et successione testamentaria*, etiam extraneorum, sine speciali consensu Domini, 4.) ulterius pactum adiici potest *de alienatione feudi inter uiuos*, sine consensu Domini, tanquam in re allodiali. Formula huius traditur: *Titio feudum et cui dederit* 2. Feud. 26. §. 23. et 2. Feud. 48. Fere in eundem modum se explicant STRVV. S. I. F. cap. 4. *Thef. 13.* TITIVS *in dem teutschen Leben-Recht. Cap. 5. §. 34. seqq.* Nos itaque sub feudo mere haereditario plenissimam intelligimus formam, et omnes hos casus comprehensos. Et nunc uideamus: *An in defectu omnium horum haeredum et successorum, sub quacunque formula expressorum, fiscus admittatur ad successionem, sicuti admittitur in bonis uacantibus allodialibus? An uero potius tale feudum mere haereditarium aperzatur Domino directo, fisco penitus excluso?*

Status controuersiae distincte proponitur.

§. III.

STRYKIVS, qui reliquos omnes facile complectitur, in citato loco, *membrum* quaestionis propositae prius affirmat; et quidam ob

C 2

STRYKIVS tribuit fisco ius succedendi in feudis mere haereditariis.

Eius argumenta.

has rationes, 1.) Quia talia feuda ad haeredes extraneos sunt transitoria, et per consequentiam etiam ad fiscum transire possunt. 2.) Quia dominus directus, dum hac ratione concessit, ut ad quemvis haeredem, etiam extraneum, ad instar rerum allodialium, feudum deuolueretur, sibi eo ipso praeiudicauerit; nec prius uoluisse recipere dominium utile censendus sit, quam omnis haeres uel testamentarius uel legitimus defecerit: hoc uero, si fiscus succedere uelit, nondum contingeret, quoniam et hic pro haerede legitimo utique reputandus sit, 3.) Quia fiscus, in tali feudo haereditario successurus, non praeiudicaret Domino directo, nec omnino eum excluderet, sed eius dominium directum saluum relinqueret; et quia adeo fiscus utilis Dominus et uasallus existeret, necessario seruitia et caetera onera, uasallo defuncto ratione feudi incumbentia, praestare deberet; et ita salua essent utriusque iura. Haec argumenta pro defendenda successione fiscii in feuda mere haereditaria a STRYKIO adducta, utut speciosa sint, ita tamen non sunt comparata, ut nos conuincant. Proinde nos potius pro contraria sententia fiscum omnino excludente, pugnabimus; Quod in sequentibus demonstrabimus, et insimul ad STRYCKII argumenta respondebimus.

Contrarium nos
tuemur.

§. IV.

Ratio Ima.

Ratio I.) qua nos utimur, desumpta est ex natura feudorum in genere; a qua non recedere debet feudum etiam mere haereditarium. Itaque, quia feudum licet mere haereditarium, feudum tamen manet, licet aliquid improprii in eo contineatur, et *successionem* respiciat; merito concludimus, omnia ea remanere et ulterius durare in feudo mere haereditario, quae, *praeter successionis irregularitatem*, in aliis feudis communiter deprehenduntur; eo pertinent fidelitas, inuestitura, seruitia, correlatio inter dominum et uasallum, modi finiendi feudum, apertura, consolidatio etc. Vtcrius inferimus. Si modi finiendi apertura, consolidatio etc. adhuc persistunt in natura feudi etiam mere haereditarii; impossibile est, ut fisco aliquod ius oriri possit

OCCU-

occupandi feudum haereditarium, licet nullo haerede ex parte ultimi uasalli existente; cum salua esse debeant domino directo iura aperturae et consolidationis. Quod uero II.) omnis interpretatio pacti feudalis in mere haereditario ita instituenda sit strictissime, ut quam minime noceatur naturae feudorum regulari, id sane omnes DD. Iuris Feudalis fatentur, et pro regula firmissima tenent. Audiamus supra §. II. regulam ex SCHILTERO: *In eiusmodi pactis non expressa non praesumi*: et TITIVS in dem Teutschen Leben-Recht, cum cap. 5. de feudis haereditariis loquitur, expresse addit §. 40. *Man muß hierbey hellich zum Grande setzen, daß im Zweifel die Auslegung so zu machen, daß vor gewöhnlicher Beschaffenheit des Lebens, am wenigsten abgegangen werde, denn es ja zu vermuthen, daß die Menschen auf gewöhnliche Art die Leben aufgerichtet, wenn sie ein anderes nicht deutlich verordnet.* Si itaque talis interpretatio strictissima obtinet in feudis mere haereditariis, manifestum est III.) dominum directum, qui eiusmodi feudo aliquem inuestit, et promiscuam quidem successionem liberam uasallo permittit, non tamen ideo statim tacite renunciaffe censi suae correlationi, quae inter illum et uasallum intercedit, et a qua necessario dependet futura spes aperturae et consolidationis. Certe, si dominus directus, inuestiendo aliquem cum feudo mere haereditario, non censetur renunciaffe modo finiendi nexum feudalem per feloniam; etiam neutiquam censetur renunciaffe modo finiendi feudum per defectum successorum uasalli. Omnis fictio STRYKII, quasi in fauorem, non solum cuiusuis generis haeredum uasalli, sed etiam fisci. Dominus directus aliquid remisisse, tacite renunciaffe, uel sibi praeiudicasse praesumatur, inutilis est, et gratis adhibetur contra firmissimas praesumptiones legales, quae uolunt, ut non expressa dominio directo non noceant.

§. V.

Omnis uis horum argumentorum quasi in centro conspicitur in iure domini directi, quaesito et olim quaerendo, aperturae et con-

Ratio IV,

solidationis. Proinde concludimus IV.) feudum etiam mere hereditarium, fieri apertum ob defectum haeredum *uafalli*, adeoque reuertere debere per consolidationem ad Dominium directum: et haec conclusio eo magis firmatur per disquisitionem, quam DD. iuris feudalis instituunt intuitu quaestionis: An, tali casu aperturae et consolidationis, Dominus indistincte ad omnia debita feudalia solvenda teneatur? Hanc quaestionem affirmant; sed affirmare eam non possent, imo tota quaestio superuacanea esset, nisi per indirectum concederetur, in defectu haeredum *uafalli*, feudum haereditarium apertum fieri domino directo, nec quidquam iuris competere fisco, feudum, tanquam bonum uacans, perperam occupaturo. TITIVS *cit. loco cap. 18. §. 4. et 5. seqq.* ita loquitur: *Wenn aber solch Leben (loquitur autem de feudis mere haereditariis) entweder wegen Feloney, oder Mangel der Nachfolger auf den Leben-Herrn zurück fällt, so meynen etliche er seye zu Bezahlung der Schulden nicht gehalten, als vvenn ein Hypothec auch ohne seinen Consens wäre im Leben aufgerichtet worden*, STRVV. *S. I. F. cap. 14. thes. 2. num. 5. etc.* hos in sequentibus refutat TITIVS, et pergit: *aber es ist vvvahrscheinlicher, dass auch in Ansehen des Herrn das erbliche Leben als ein Allodial-Stuck müsse genommen vverden, und der Herr schuldig seye, allerley Schulden nach dem Vermögen des Lebens zu entrichten; denn ob er es schon aus eigenem Rechte bekommt, so fällt es doch mit seiner erblichen Qualität zurücke, und kan der Lebenmann durch seine Verpfändung den Herrn zu Entrichtung der Schulden ohne Unterscheid verbinden etc.* Hac occasione V.) illud annotamus, quod *apertura*, quae non potest non uocare Dominum ad successionem in usufructu hactenus uoluntate Domini a proprietate separato, non possit praedicari de alio, quam de ipso Domino in cuius persona et iure consolidatio perficitur: nam supponimus, in feudo etiam mere haereditario nullum adesse haereditem, qui *succedere* possit sensu proprio, et ex intentione domini directi, feudum a prima constitutione mere haereditarium esse uolentis.

Ratio V.

§. VI.

§. VI.

At uero nunc palmario suo argumento prodit STRYKIVS, et rationes ita subducit: Feudum mere haereditarium ad omnes haeredes, etiam extraneos, transit: Haeres, licet extraneus, tamen et *legitimus* dicitur fiscus: Feudum haereditarium nondum apertum est, quousque adest haeres *legitimus*, pro quo fiscus etiam reputandus est; Ergo fisco successio in feuda mere haereditaria non est deneganda. Ad haec autem, licet speciem insignem prae se ferant, facili negotio responderi potest: Scil. VI.) Fiscus sensu admodum improprio, et non sine figura aliqua rhetorica, dicitur in iure nostro *Successor*, *Haeres*, item *Legitimus Haeres*. Illud negandum non est, leges fisco tribuisse *ius occupandi bona uacantia* et quae sunt *quasi nullius*. Atque adeo, NB. *in sensu grammatico, succedit omnibus*, qui sunt in illa Republica; Succedit etiam, in eodem sensu grammatico, *legitime*; quia *leges* ipsi hanc facultatem occupandi concessere. Quis ignorat? uocabulum *successionis* in latiori sensu, etiam applicari eorum rerum nostrarum; nam succedunt nobis in possessione et facultate usucipiendi: quis uero non uidet, admodum abusue hoc dici in materia haereditatis? At enim uero, si de huius uel illius personae haerede uel successore legitimo sermo est (u. g. in praesenti disputatione de *haerede uasalli*) tunc oppido se ostendit rectus usus termini, quo non abuti debemus intuitu fisci, cuius ius non prius incipit, quam si bona sunt NB. *uacantia*, et quando agitur de occupatione horum bonorum; Bona autem feudi mere haereditarii, nullo licet haerede NB. *uasalli*, in sensu proprio et, *in sensu iuris haereditarii* existente, prorsus non ita uacare, ut fisco ius nasci possit, mox ostensuri sumus; quapropter distinguendum esse putamus, ut terminorum genuina ratio habeatur, inter haec duo: *Fiscum acquirere legitimo modo bona omnia, etiam haereditaria, uacantia*; et: *Fiscum esse haereditum legitimum ab intestato*. Certe, fiscus etiam occupat bona ob crimen perduellionis publicata tanquam uacantia; et tamen nemo, nisi ualde improprie, dicere audeat, *fiscum esse perduellis*

Haere-

Haerodem ab intestato. Haec saltem adducere uoluimus eum in finem, ne STRYKIUS, et qui cum eo faciunt, nimis gloriari uelint de inuenta illa ratione decidendi: Fiscum esse legitimum successorem ab intestato.

§. VII.

Ratiō VII.

Ast ponamus, Fiscum esse talem Successorem; Fiscum esse legitimum haerodem ab intestato (qui tamen non nisi Heluo est bonorum uacantium, et qui ab ipso STRYKIO *opponitur* expresse *successoribus*) omnes tamen fatebuntur, eum esse VII.) *ultimum*. Quapropter, si demonstrari potest, adesse adhuc alium successorem, maiori iure dicendum *Legitimum*, id est, quem leges feudales uocant ad successionem; per se clarum est, fiscum bona gratia cedere debere, neque unquam de aliqua occupatione bonorum, nondum uacantium, cogitare debere. Neminem fugit odium illud, quod in hac re fiscum premit, adeo, ut, in defectu aliorum haerodum iure sanguinis uocatorum, ab intestato admittantur Coniuges, Collegia quaedam licita; ut eo longius remoueatur fiscus. Et talis *Successor legitimus*, adeoque dicendus *Penultimus*, in feudo etiam mere haereditario sine omni dubio est *Dominus directus*; qui succedit in ea parte, olim per inuestituram in uasallum suum translata; quam neutiquam in totum alienauit, sed cuius redditum in suum patrimonium et plenitudinem Domini, in casibus aperturae, feloniae, consolidationis cuiuscunque etc. sperare potuit, et cui redditui nunquam, neque expresse neque tacite, renunciauit. Appellauimus hanc Domini Directi, praec fisco, competentem Successionem in feuda mere haereditaria *Legitimam*, et ab intestato: quia leges, quae ius aperturae et consolidationis Domino in dubio semper saluum esse uolunt, hanc successionem fundant. Sed possemus etiam eandem successionem iure meritoque appellare *Pactitiam*. Nam, dum Dominus in inuestitura neutiquam renunciauit iuri aperturae et consolidationis, licet *uasalli* haeredibus liberam successionem reliquerit, nec ulla praesumptio in dubio contra Dominum militat, quod dominium utile unquam

unquam pro uacante habere uelit; manifestum erit, ex eodem pacto et contractu feudali redire debere feudum, successore *Vasalli* destitutum, per consolidationem ad Dominium Directum. Vtroque casu Fiscus non erit Successor *ultimus*, sed praecederet Dominus directus. Miramur adeo, STRYKIVM c. l. §. 5. *in fin.* non dubitasse asserere. „Quod Dominus directus, feudum mere haereditarium constituens, non censetur prius uoluisse recipere Dominium utile, quam omnis haeres uel testamentarius uel legitimus (in quem census etiam male refert fiscum) defecerit: Nam hac ratione secundum STRYKIVM daretur casus, ubi *post fiscum* in successione demum uocaretur Dominus directus; quod contradictorium esset, si ex altera parte certum est, fiscum non nisi *ultimum* haereditem esse debere.

§. VIII.

Ex dictis facile intelligitur, quid VIII.) respondendum sit STRYKIO urgenti uehementissime illud argumentum, quod Dominus directus eo ipso, dum uoluit, ut ad quemuis haereditem etiam extraneum, ad instar allodialium deuoluatur feudum, sibi maxime praeiudicauerit, et fisco uiam; ad feudum deficientibus haeredibus uasalli occupandum, aperuerit. Negamus enim a) Dominum Directum sibi in ulla alia re praeiudicasse, quam *intuitu Successionis liberae uasalli, quomque haeredes huius proprie sic dicti extant.* b) Negamus, Dominum directum, feudum mere haereditarium efficiendo, iuri aperturae et consolidationis, in defectu omnium haeredum legitimorum a uasalli uoluntate, sanguine uel coniunctione dependentium aliquando sperando, uel expresse uel tacite renunciaisse. c) Negamus, haereditem uel legitimum successorem uasalli esse fiscum, heluonem illum bonorum tantummodo uacantium. d) Negamus, feuda mere haereditaria, domino directo praesente

D

fente

sente et iure sibi factae aperturae gaudente, unquam uacare in sensu fiscali. e) Negamus denique, fiscum unquam admitti posse ad bona, nisi ultimo et extremo loco.

§. IX.

Ratio IX.

Sed instat STRYKIVS et urget suum tritum: *Inftar allodii*. Putat nimirum, ad instar allodii comparatam successionem, non posse esse aliam, quam quae in fine deuolueretur ad fiscum. Verum IX.) nec haec quidquam efficere possunt. Nam, praeter ea, quae iam dicta, et, ad hanc obiectionem remouendam, iam accommodata sunt, illud adhuc monemus, a) obtinere quidem in feudis mere haereditariis *ordinem successionis* illum, qui alias obtinet ordinario modo in *allodialibus*; sed NB. respiciendum esse *ad successores uasalli proprie sic dictos*; fiscus autem non est successor *uasalli huius*, sed *omnium hominum*, quorum tamen bona prius *uacare* debent: b) Deinde argumentamur: Si ordo successionis allodialis in feudis mere haereditariis obseruatur, sequitur, praeter testamentariam et intestati successionem, etiam obtinere *pacititiam*, et hanc quoque excludere posse fiscum. Quod uero Dominus Directus etiam in mere haereditario feudo sit successor *pacititius* in casu cuiuscunque aperturae (sive propter Feloniam, sive propter defectum haeredum) iam supra euictum fuit. Et, breuiter dicendo, successio allodialis potest obtinere in feudis haereditariis, sed ideo non tollitur nexus feudalis in iisdem, neque feuda ipsa propterea sunt allodia.

§. X.

Iterum occurrit STRYKIVS et dicit: non tolli nexum feudalem penitus, licet fisco successio asereretur; fiscum succedere tantummodo in dominio utili; Dominum directum suum ius saluum et intactum habere; fiscum fieri uasallum, et ad seruitia caeteraque onera,

onera, uafallo defuncto ratione feudi incumbentia, adstringi, confituito ob eam rem uafallo uicario etc. Sed et nos contra X.) iterum inſtitimus et dicimus, omnino tolli nexum feudalem, et euerſi iura Domini directi, *ſi tollitur ius aperturæ*, ſi auferatur Dominium utile iuſto et legitimo Succeſſori Domino, et pro bono uacante declaratur. At non ſolum impræſentiarum amitteret Dominus directus effectum aperturæ et conſolidationis, ſed etiam XI.) irreparabile in eundem redundaret damnum, feudi dominio utili ſemel in inſatiabiles manus ſiſci delapſo; Non enim in æternum unquam ſperare poſſet Dominus directus caſum redditus Domini utilis ad directum, per aperturam, conſolidationem, Feloniam etc. Fiſcus non moritur; non facile interit; non committit feloniam, ne quidem per ſuum uafallum Vicarium cum effectum; ſub clypeo reſtitutionis in integrum tutus. Haec omnia bene laudabiliterque conſiderauit ROSENTHALIVS *cap. 11. conſul. 12. num. 5. et 9.* ad noſtram ſententiam proxime accedens, quem tamen abſque ratione in hac re deſeruit STRYKIVS, ipſe tandem faſſus cum ROSENTHALIO: *Difficile eſſe Fiſcum habere Vaſallum.*

Ratio X.

Ratio XI.

§. XI.

Tandem XII.) ſatis firmum argumentum pro adſtruen-
da noſtra opinione duci poſſe exiſtimamus ab amiſſione bono-
rum per conſiſcationem ob Crimen Vaſalli. Nimirum inter
æquiſſimos iuris feudalis et etiam legum Imperii interpretes
uix ullus inuenitur, qui in eo non conueniat, quod, ſi
Vaſallus propter crimen u. g. læſæ Maieſtatis, feudum amittat,
etiam NB. Haereditarium; illud non tranſeat ad fiſcum, ſed
quod aperiatur, et quidem Mediatum, Domino Directo;
Immediatum uero, Imperio. Audiamus SCHILTERVM *Inſt.*
lur. cap. 8. §. 17. Alii publicationem faciunt quoque modum

Ratio XII.

D 2

quo

quo feudum finiatur arg. l. 28. de iure fisci. cedereque feudum Domino uel Agnatis, nunquam fisco, nisi mere haereditarium fuerit. Verum enim uero publicatio siue confiscatio coincidit cum modo finiendi per feloniam ex dolo, et quoties feudum uel Domino uel Agnatis aperitur. Quoties porro aliquis Possessor et feudi et allodii ex crimine laesae Maiestatis condemnatur etiam ad confiscationem, tunc feudum quoque finitur, et redigitur, non in fiscum Summi Principis, sed Domini immediati per Capit. Caesar. §. 27. quo declaratur A. B. cap. 24. in pr. ibi: *bonis eius omnibus fisco nostro additis*; quae declaratio utique conformis est Iuri Feudali Alemannico cap. 30. et 89. §. 4. conf. LIMNAEVM ad A. B. cit. loc. (Obs. X.) *Feudum Haereditarium recte non excipitur*, quia feudi essentiam retinet, *etsi mere tale sit*. Vnde Domino immediato siue Intermedio aperitur, etiam in casu perduellionis, per supra dicta; nec admittenda distinctio STRVV. cap. 15. thes. 15. in fine. Etsi enim tale feudum eius sit conditionis, ut instar rei allodialis facto uasalli in alium transeat, iste alius tamen non est, nisi *Dominus feudi mediatas*, non Fiscus Imperii, etc. Audiamus etiam Celeb. FLEISCHERVM in Instit. Iur. Feud. cap. 14. §. ult. Fisco in feudis nulla competit successio sed saltem in allodiis, ita, ut nequidem Feudum Haereditarium iuribus fisci subsit, Capit. Carol. art. XXI. HORN. cap. 16. §. 23. Si itaque uasallus sine haeredibus feudalibus fuerit mortuus, et nulli simultanee inuestiti, uel expectuarii, uel qui ex pacto succedunt, adsint, Successio competit Domino Directo. Idem obtinet; si uasallus propter Feloniam Feudum amisserit, quo in casu tamen illud tantisper saltem retinet, quousque Vasallus eiusque descendentes uixerint, tunc enim proximis agnatis feudum restitui debet. Si Status Imperii immediatus propter crimen laesae Maiestatis feuda amittat, Mediatata Domino directo, Immediata uero Imperio aperiuntur, per

per Capitul. Carol. *cit. loco.* Si haec vera sunt, uti sunt; quomodo fiscus succedere possit in feudis haereditariis, in defectu Successorum et Haeredum Vasalli, excluso Domino Directo? Probabilior sane ratio esset succedendi, uel potius occupandi bona in causa criminis, quam in defectu haeredum feudi haereditarii: Et tamen fisco non aperitur feudum in priori casu; multo minus in posteriori; ubi semper adest successor legitimus, propter ius per aperturam quaesitum, scilicet Dominus Directus.

TANTVM.

COROLLARIA.

I.

*Si homo proprius ducat personam liberam,
filius ex ea procreatus pariter liber
habendus erit.*

II.

*Matrimonium non liberat filium a patria
potestate.*

III.

III.

Possessio non est species iuris in re.

IV.

*Vi citationis ad domum factae, non facile
nec statim proceditur in contumaciam.*


V.

*Creditor, reddens Chirographum, censetur
tacite remittere debitum.*

VI.

*Sumptus studiorum filius non tenetur con-
ferre.*





00 A 6457.

ULB Halle
002 927 268


3




R

VO 17







Q. D. B. V.
OBSERVATIONES IVRIS MISCELLAE
QVAVRVM
CAPVT SECVNDVM
DE

EXCLVSIONE FISCO
A SVCCESIONE
IN

FEVDA MERE HAEREDITARIA

PRAESIDE

GEORGIO FRIDERICO DEINLINO
I. V. ET PHILOS. D. PERILL. REIPVBL. NORIB.
CONSIL. PAND. P. P. COLL. ICTORVM
ASSESS. ORD. H. T. DECANO

DISQVIVISIONI ERVDITORVM
SVBMITTIT

AVCTOR RESPONDENS

IACOBVS CHRISTOPHORVS TAVTPHOEVVS
MERGENTHEMIO - FRANCVS.

ALTORF. D. XXII. MART. A. O. R. MDCCXXXVI.

TYPIS IOH. GEORGII MEYERI ACAD. TYPOGRAPHI.